

Π u

23

N. 2, 767.

L. M. II. 770.

2.	H.	773
3	H	773
4	H	773.



1. D. Jac. Milichü Oratio de Arte medica.
2. Traité des fievres malignes par Camuset.
3. Nachriicht von der so genanten Pestenitz von
Huanulfrid.
4. D. E. P. M. Comēntatio von dreyen Antimo-
nialischn Tincturen.

4.

ORATIO

DE ARTE MEDICA
RECITATA CVM
GRADVS DOCTORVM DE-
cerneretur uiris clarissimis, D. Do-
ctori Casparo Guielmo, D. Docto-
ri Iohanni Dumerichio, & D.
Doctori Christophoro
Schenitz Hallen-
sibus.

A DOCTORE IACOBO
MILICHIO.




VITEBERGAE

1555.

ORATIO

DE ARTEMEDIA
CA RECIPTATA CVM
GRADVS BOTOYVMBE
conferretur rube christiane, D. Doct
Georgio Caspato Guelino, D. Doct
et Johanni Duerichio, B.D.
Doctore Christophoro
Schulze Hallen



WITTEBRGAE

1773



ORATIO

DE ARTE MEDICA.



Rauissimè præceptum est in doctrina Ecclesiæ, honorem tribuendum esse corpori humano. Qua adpellatione non tantum hoc significatur, quod Philosophi dicerent, tuendam esse ualitudinem, & depellendos morbos, seu conseruandas esse uires corporis, quantum fieri potest. Sed cum honos nominatur, causa comprehenditur, propter quam ualutudo magna cura tuenda est, uidelicet, quia corpus ad diuinos usus conditum est. Significat enim honos confessionem antecellentis bonitatis, quæ primùm Deo debetur, deinde

A ñ cum

cum transfertur ad alias res, tamen
propter Deum eis tribuitur, ut hono-
norem tribuimus parentibus, impe-
rijs, artibus, legibus. Artes enim ac
leges scimus radios esse sapientiae,
quae in Deo est aeterna & immota,
per quos sese uult agnosci & uitam
regi. Sic imperia scimus ordinem esse
se sapientiae Dei, & conseruari à Deo,
ac intelligimus uelle Deum nos
illi ordini subiectos esse. De paren-
tibus uero scimus, & castitatem con-
iugij, arcano Dei consilio sancitam
esse, & generationem Dei opus esse,
& ab ipso conseruari, & uelle eum
ut sit mutuum foedus & mutua societas
inter parentes & natos, quam uult
esse comonefactionem de suo amo-
re erga filium & erga nos. Ita cuius-
cunq; rei honorem tribuimus, signifi-
camus aliquod in ea diuinum bonum
esse, propter quod ea res &
conseruanda & anteferenda est cae-
teris rebus. Sicut Aristoteles inquit,
τιμιον esse quiddam diuinum.

Cum igitur præcipit cœleste
mandatum, ut corpora nostra ho-
nore afficiamus, quærendum est que
res diuina propria sit corporum no-
strorum, quæ tamen uidemus esse
fragiles massas ceu testas ex luto con-
cretas. Hic primùm de causa finali
dicam.

Quanquam hæc corporea mo-
les ex luto facta est, tamen ad hunc
usum cōdita est, ut in tota æternitas
te domicilium & templum sit Dei,
& organum actionum Dei maxime
admirandarum. Nascuntur in cor-
de uitales spiritus, & inde sursum
magni halituum æstus uelut Euripi
uehuntur in cerebrum, qui postea
cerebri familiaritate mitiores & lu-
cidiores facti, cerebrum adiuuant in
cogitationibus formandis. illi uerò
fluctus, qui sunt in thalamis cordis,
accendunt affectus.

In hanc totam halituum sca-
turiginem uerè se inserit diuinitas:

A iij In

In Cerebro format noticias lucidios
res, & firmiorem adfensionem: in
Corde adfectus tales, qualis est ipse
Deus. Ad hunc usum cum condita
sit hominum natura, & ut scriptum
est, cum uelit Deus omnia in omni-
bus esse, recte dictum est, Corpus
honore adficiendum esse. Cogite-
mus igitur quanta scelera sint expel-
lere Deum ex hoc suo domicilio, ut
eiciunt qui se libidinibus aut alijs
flagitijs contaminant: uel omnino
destruere hoc templum, ut magna
multitudo hominum perdit cor-
pora ferro & alijs machinis: Sed
multo plures crapula, illuue, con-
temptu remediorum. Hæc lues uerè
ἐπιδημιοῦς assidue per totum ge-
nus humanum uagatur. Hæc ma-
gna & atrocita scelera agnoscenda &
corrigenda sunt, Et sæpe cogitandæ
sunt causæ, cur Deus iusserit hono-
rem habere corpori.

Dixi

Dixi de causa finali, quia sit
conditum ut sit templum Dei. Con-
sideremus etiam ipsius opificij ar-
tem, quæ cum uerè sit diuina, ut
ostendat qualis sit Deus, propter
hanc causam etiã corpus honore ad-
ficiendum est. In Deo præcipuæ res
sunt, sapiëntia, ueritas, bonitas, bene-
ficentia, iusticia, castitas, constantia
in bono, quod ipsius sapientia discer-
nit à malo, Item, liberrima electio.
Sic est autem conditus homo, ut
membra corporis sint harum opti-
marum rerum instrumenta, In cere-
bro lucent noticiæ & ueritas, intelle-
ctus numerorum, radij legis diuinæ,
discernentes recta & non recta. Et
à cerebro nerui oriuntur, qui cogita-
tione impelli possunt, & externa
membra uel cient uel cohercent, ut
actiones cum recto iudicio con-
gruētes effici possint, ut cum Achil-
les ardens ira non iniusta, gladium
stringeret, tamen cùm tacita cogita-

A iij tio

gio nervos ceu habenas iuberet res
trahere manum, nerui & manus res
cto iudicio obtemperant. Hanc sa-
pientiam, libertatem, virtutem, ad-
huc vtcunq; in hominum natura res-
liquam esse videmus, etiamsi langui-
dior est, quam qualis initio condita
est. Voluit tamen Deus in nobis ad-
huc lucere de sese testimonia et signi-
ficationes, quæ cōmonefaciant qua-
lis sit ipse. Hanc in opificio hominis
artem diuinam esse fateri necesse est.

Hæc commemoravi non tam
prolixè, vt magnitudo rei postulat,
sed vt hoc tempore potui, vt audito-
res omnes ad cogitationem diuinæ
sententiæ inuitarem, quæ præcipit,
vt corpora nostra honore adficia-
mus, ac duarum rerum cogitatio-
nem adiungi uolo, uidelicet prio-
rem de nostra negligentia in tuenda
ualetudine & conseruando domici-
lio Dei, alteram de præsidio necessa-
rio, uidelicet de arte Medica,

Pro

Profecto multum peccamus
omnes, quòd neglecto ordine in ci-
bo, potu, somno, laboribus, denique in
omnibus motibus animi & corpo-
ris, adfligimus naturæ vires, impedi-
mus in nobis lucem diuinam per-
mixtam nostris spiritibus, denique
ante tempus nobis ipsis mortem cō-
sciscimus. Hæc fiunt ab alijs magis
atrociter, ab alijs minus, sed tamen
omnes in hoc genere peccamus. Ac
si quis putat hæc non esse curæ Deo,
valde errat. Toties enim repetita
sunt præcepta, Non occidas, Non
grauentur corda vestra crapula, Ho-
norem habete corpori, Homicidæ,
ebriosi, scortatores regnum Dei non
possidebunt. Qualis autem est hoc
tempore plurimorum consuetudo,
qui conueniunt ad crebra conuiuia,
ut Lapithæ & Centauri, ibi cum se
onerarunt sine modo cibo & potu,
postea tumultuantur, & hos mores,
seu fortitudinem, seu hilaritatem si-

A 5

ne uis

ne vicio esse existimant. Tu vero non iudicas scelus, quod paulatim tibi mortem consciscis, quod domicilium Dei destruis, quod nunc in praesentia aut expellis aut arces Deum, quo minus latari tuae mentis & cordis tui possessione queat. Non magnum malum censes, quod multos dies temulentus & furens sine inuocatione Dei, & sine meditatione de Deo uiuis. Extrema denique haec calamitas est, quod excluso Deo irruunt in prophana pectora diaboli, qui impellunt alios, ut mox ruant in caedes, alios ita tenent captiuos, ut postea in Repub. faciant eos patriae pestes, & ἀλάστορας generis humani, quales fuerunt Catilina, Antonius, & similes. Utinam horum magnorum delictorum turpitudine cogitentur, & agnoscat ira Dei, & multi abijciant hos malos mores, qui & priuatim multis exitio sunt, & totas gentes, Ecclesiam & imperia perducunt.

Hæc

Hæc prius dicere necesse est,
quoties de arte Medica dicendum
est, Nam qui furenter perdunt cor-
pora, nec Deum vindicem metuunt,
nec ullam moderationem in vita
amant, his frustra de sapientia Dei,
& de ordine seruando in victu & in
medicatione concionamur.

Postquam igitur de emenda-
tione morum breuiter dixi, nunc
addam pauca de arte Medica, quæ
monstrat vitæ præsidia, necessaria
partim ad tuendam valetudinem,
partim ad depellendos morbos. Hic
si quis adeò barbarus est, vt nihil mo-
ueatur manifesta utilitate in vulne-
rum curatione, in restitutione fra-
cturarum aut laxatarum partium, &
multis interiorum morborum de-
pulsionibus, ac omnem naturæ con-
siderationem, ac totam artem Medi-
cam, & artifices omnes contemnat,
ut sunt quidam Titanum similes,
qui etiam cœlo bellum inferunt, Hos
non

non conor disputando ad sanitatem
reuocare, sed vt Titanes dissipati
sunt audito horribili clamore asini,
cui Bacchus insidebat in prælio, ita
isti tandem aliquo asinorum clamo-
re perterrefacti, pœnas dabunt, q̄
Deum & res diuinas contumelia
adfecerunt. Alios autem alloquor
saniores, hos oro, ut uniuersam hanc
rerum naturam intueantur, & cogi-
tent eam non ex Democriti atomis
casu & sine mente conflata esse,
sed summa arte à Deo opifice, sapien-
te, bono, benefico, casto & vindice
scelerum, conditam esse & conserua-
ri. Hic uoluit ordinem in toto opifi-
cio testimonium de sese, & de prou-
dentia esse.

Longum autem esset de ordi-
ne in multis naturæ partibus dicere,
de situ corporum mundi, de ordine
motuum cœlestium, de vicibus tem-
porum, dierum, noctium, hyemis &
æstatis, de annua fœcundatione terræ,
de

de plantis, de animantium generibus, de fabricatione humani corporis, de firmis & æternis noticijs in mente humana. Tantum hic pauca de ordine in victu & medicatione corporum dicam.

Res ipsa ostendit, singulari consilio Deum tanquam patrem fideliter nobis prospicientem distinxisse res nascentes, & alias velle nutrimenta esse, alias remedia. Quis enim vesci possit Mastiche, Achilleide, Gentiana, Myrrha, Aloe, aut multis alijs quæ in medicatione vulnerrum constat esse saluberrima. Flexit etiam Deus mentes certorum hominum ad considerationem remediorum, & inquisitionem adiuuit, quo in studio animaduersum est, mirificam varietatem virium in res nascentes sparsam esse, vt aliæ opem ferrent alijs membris, aliæ præsidia essent contra alios morbos.

Hæc igitur naturæ aspectio, re
vera

uera est consideratio diuinæ sapien-
tiæ, bonitatis & beneficentiæ erga
nos, deinde & utilem esse uitæ mani-
festum est. Quare & propter glo-
riam Dei, & propter nostram utilita-
tem hanc dulcissimam doctrinam
amemus, & grati beneficijs Dei frua-
mur, & eius sapientiam & bonita-
tem celebremus, & sciamus nos ei
tantæ curæ esse, non ut huius fuga-
cissimæ uitæ curriculo confecto, po-
stea in omni æternitate nihil simus,
sed ut in illa tota æternitate cōsuetu-
dine eius fruamur, & ueram eius sa-
pientiam discamus, ad quam iter
vult esse & tyrocinium huius breuis
uitæ spacium. Nequaquam enim
sunt ciues Ecclesiæ cœlestis, qui in
hac vita doctrinam de Filio Dei dis-
cere noluerunt.

Tales erant & Physicæ & Theoz-
logicæ disputationes summorum ho-
minum, primorum parentum, et de-
inde Nohæ & filiorum, & postea Ios-
seph

seph in Aegypto. Neq; enim hanc
philosophiam ab Aesculapio pri-
mum inchoo, qui non diu ante bel-
lum Troianum natus est, cum filij
Podalirius & Machaon exercitum
Græcum ad Troiam secuti sint. An-
tecedit autem annis fere mille annus
diluuij, in quo familia Nohæ seruata
est, tempus belli Troiani.

Fuisse autem in Noha consi-
derationem naturæ eximiam inde
æstimari potest, quia & animantia
congregauit, & in arca toto anno
pauit, & postea filijs suis uites ostendit,
quas non existimo tunc primum
creatas esse, sed primum ipsi in vlti-
ma senectâ monstratas esse à Deo,
quia Deus foueri languefactum cor-
pus ætate, pleniore iam potu uoluit,
ac simul significauit uenturæ poste-
ritati, quæ erat futura imbecillior,
opus fore deinceps tali potu.

Ac diu in familijs regijs do-
ctrina Medica & conseruata & pro-
pagata



pagata est, ut celebrata est Chironis
Centauri schola, qui Achillem do-
cuit artem Medicam. Et Eurypylī
vulnera curat Patroclus remedijs,
quorum vsum ab Achille didicerat.
Ac Homerus *πικρὰν εἴζαν* nominat,
que veterum Scriptorum iudicio est
εἰσολοχία. Sed omitto orationem
de artis inicijs, quia nihil dubium est,
primorum patrum sapientiam hanc
fuisse, explicationem legis diuinæ &
promissionis de Mediatore, & de
reconciliatione, de causis calamita-
tum humanarum, & de restitutione
vitæ æternæ, ac deinde consideratio-
nem naturæ. Certe enim ab his anni
descriptionem accepimus, & agric-
culturam, & panis coquendi artem.
Ac Siracides recte adfirmat vtrum-
que, & remedia ipsa Dei opera esse,
& artem à Deo ostensam esse. Sic
enim de remedijs inquit: Dominus
condidit ex terra pharmaca, & vir
prudens non fastidit ea, quæ senten-
tia



tia & autorem remediorum ostendit,
& his Dei beneficijs uti, & gratis mē-
tibus Deum celebrare iubet. De Me-
dico autem inquit: Da locum Medico,
nam & ipsum Deus creauit. Item,
Honora Medicum, quia propter ne-
cessitatem Deus eum creauit, id est,
Non remedia solum condidit Deus,
sed etiam flexit mentes certorum ho-
minum ad eorum inquisitionem, ad-
iuuit studium, & regit consilium, &
dextram medicantis. nam sine Deo
non est foelix medicatio. Ipse est enim
ut scriptum est, uita & longitudo di-
erum. Item, In ipso uiuimus, sumus &
mouemur. Verē Deus est uitę fons &
largitor: sed uult nos reuerenter uti
ijs rebus, quas uult esse uitę admini-
cula, quę ita sunt efficaces, cū ipse
eas adiuuat. Ita uolumus ad medica-
tionem adiungiet inuocationem Dei
& celebrationem beneficiorum eius.
Hęc officia Deo grata sunt, non illa
barbaries, quę & Deum, & uestigia
B Dei

Dei in natura, & naturæ considerati-
onem, imò totum uitæ ordinem con-
temnit. Quam ob causam? quia legis
bus, literis, & doctrinæ inimica est,
ac metuit suis cupiditatibus frenum
injici legum & doctrinarum uinculis.
Ex hoc fonte doctrinarum odium ori-
tur, non ex religione, etsi quidam
prætexunt religionem. Vos uerò qui
ideò doctrinæ studijs dediti estis, ut
Deū & Dei opera à reb. malis discer-
nere, & Deum rectè inuocare discas-
tis, & amplectamini res bonas, agnos-
cite hanc esse normam doctrinarum.
Hæ doctrinæ expetendæ sunt, quæ
opera Dei rectè monstrant, & in eis
ostendunt testimonia de eo, confir-
mantia ad sensum de prouidentia,
ut excitentur mentes ad celebra-
dam eius sapientiam, bonitatem, &
beneficentiam erga nos, & quarum
doctrinarum usum prodesse Deus ge-
neri humano uoluit. nec delectet uos
illa Cynica sapiëntia, quæ plausus apud
stultos

stultos captat uituperatione doctrina-
narum, & ordinis, quem Deus in tota
ta natura, & in uita hominum sanxit.
Nobis quidem, qui mediocri sedulitate
doctrinam propagamus, & magno
labore ægrotis adsumus, damus
consilia & remedia, & non sine dolore
multa tristia spectacula cernimus,
precipuum adfert consolationem hæc
ipsa causa, quòd scimus Deum adpro-
bare artem & hæc nostra officia, ac
uelle eum, ut homines remedijs à se
conditis utantur, uelle etiam artifices
esse, qui artem alijs tradant, & reme-
dia exhibeant, & adiuuare eum fide-
lis medici officia, præsertim inuocans
tis ipsum, cum scriptum sit: Da locum
Medico, nam & Dominus eum crea-
uit, certè uult operam nostram non
esse irritam. His consolationibus me
confirmo, quoties ad ægrotantes ac-
cedo, & simul Deum uitæ fontem &
remediorum conditorem oro, ut ipse
mentem et dextram meam gubernet.

B ij

Scio

Scio magnam esse infirmitatem naturæ
humanae, nec ulli magis hoc nos
runt, quàm Medici, qui & exempla
multa uident, & sæpe cernunt ex leui-
bus offensionibus oriri exitialia ma-
la, sæpe conualescentes non seruato
naturæ ordine sæuicia redeuntis mor-
bi extingui. sæpe tanta est corporis
debilitas, ut nec cibum nec remedia
admittat. Hæc etsi fiunt, tamen ordo
diuinus non negligendus est, uult
Deus & cibos & remedia exhiberi,
id ritè fiat, & euentus ipsi commens-
detur. Nam & amentia et scelus esset,
seni aut ægrotanti ne cibum quidem
dare, quia non simili uoluptate frua-
tur ut iuuenis, aut rectè ualens. Legi
diuinæ atq; ordini diuinitus sancito
obtemperemus, & Deum naturæ
conditorem precemur, ut nos, quos
languefactos scelere diaboli, tamen in
hac infirmitate nō uult subito extin-
gui, seruet, & concedat aliqua spacia,
ut Ecclesiam inter nos colligat, quam
ut sema

ut semper in his regionibus colligat
& gubernet, toto eum pectore oro.

D I X I.

DECANVS COLLEGII
DOCTORVM ARTIS ME-
dicæ Melchior Fendius Do-
ctor artis Medicæ.

MAnifesta utilitas mouere om-
nes homines debebat, ut artem
Medicam, quæ amplissimam
doctrinam de omnibus naturæ parti-
bus complectitur, ualde ueneraren-
tur. Omnes .n. uitæ gradus inde usq[ue]
à foetus formatione in utero beneficijs
huius artis fruuntur: Sed multi ingra-
ti, cum quidem beneficio huius artis
sepe seruentur, tamen & artem et arti-
fices contemnunt. Horum execranda
est immanitas. Nos uerò & uitæ præsi-
dia intelligamus, & grati fruamur, &
sciamus, ideò sic conditam esse homi-
num naturam, ut multis rebus & arti-
bus indigeat, ut ipsa nos rerum & ar-

B iij tium

etiam uarietas commonefaciat de Deo
o opifice, qui consultò uires distribu-
it, aliàs alijs rebus, uoluit alias res esse
nutrimenta, alias remedia: uoluit
plantas alias alijs membris opitulari.
Flexit etiam mentes aliquorum ad in-
quisitionem, ut agnoscamus et esse sa-
pientem conditorem, & adfici eum
cura nostri. Totum hunc mirificum
ordinem uult esse testimonia de sese
& de prouidentia, sicut scriptum est:
Ludit sapientia coram eo in orbe ter-
ræ. Exhibentur uelut in ludis in tota
hac compage mundi uaria spectacula,
Cœlum, elementa, stellæ, ordinati cir-
cuitus, terræ fœcunditas, diuersæ re-
rum nascentium uires, animantia, sensu
suum machinæ in corpore hominis,
& mentis noticia. Sic igitur fruamur
beneficijs Dei, ut grati eum celebra-
mus, & lætemur sapientia ipsius & or-
dine, doctrinam etiam in qua rerum
usus ostenditur, conseruemus. Cùm
autem dupliciter bene mereantur de
uita

uita hominū eruditi Medici, & con-
seruationē doctrinæ, & ipsis officijs
medicationis, faueamus eorum stu-
dijs. Quare cum die proximo Mensis
Aprilis uicesimo tertio tribus uiris
honestis & eruditis M. Casparo Guis-
elmo, M. Iohanni Dumerichio, &
domino Christophoro Schenitzio,
natis in inclyta urbe Salinarum Saxo-
nicarum, cuius beneficio multæ gen-
tes fruuntur, daturi simus publicum
testimonium eruditionis, & gradum
Doctorum artis Medicæ, petimus ut
ad illam testimoniū renunciationem
Doctores, Magistri, et auditores con-
ueniant, & sua frequentia ostendant
se & propter gloriam Dei, & propter
utilitatem uenerari doctrinam & ar-
tem Medicam, & benè uelle uiris ho-
nestis & eruditis, qui & in medendo
& in propagatione doctrinæ uitæ ho-
minum prodesse student.

Data die 21. Aprilis.

Anno 1555.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Pan Tu 23

ULB Halle


3


003 068 48X



56

nc





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



4.

ORATIO

DE ARTE MEDICA RECITATA CVM GRADVS DOCTORVM DE cerneretur uiris clarissimis, D. Doctōri Casparo Guielmo, D. Doctōri Iohanni Dumerichio, & D. Doctōri Christophoro Schenitz Hallensibus.

A DOCTORE IACOBO MILICHIO.



VITEBERGAE
1555.

